

mittere, neque aliter punire quempiam, vel absolvere possit, nisi annuisse singuli supponantur. Sed ea supremæ potestatis limitatio commoda Novatoribus est, ut nunquam de incurso anathemate vincantur. Quandonam ipsi, qui se Ecclesiæ partem non vulgarem prædicant, excommunicationi suorum consentient? Quomodo consensisse præsumi poterunt, quorum *Querelis, & protestationibus* publicis omnia personant?

Articulus nonagesimus primus de excommunicatione injusta, maximè si scopus authoris, eique adhærentium usus attenditur, gravibus scandalis, & perturbationibus obnoxius est. Debitum nempe suum, suorumque author existimat, retinere, ac defendere suas sententias, tanquam Augustinianas, quantumcunque à Sede Apostolica condemnatas. Contra has, quidquid fulminis è Vaticano emittitur, præteritis illis Augustini discipulis injustum est, ideòque facile contemnendum. Si sermo solummodò esset de casu Innocentii III. in cap. *Inquisitionis tue, de sent. excomm.* contra debitum juris naturæ, aut de excommunicatione, quam constet ipso jure nullam esse, toleranda videretur authoris enunciatio; sed cum ex Doctore Angelico in Supplem. q. 2. l. a. 1. ad 2. didicerimus, non omnem excommunicationem injustam esse irritam, neque omne debitum certum sit, neque semper evidens excommunicationis vitium, sæpe sententiæ superioris, præsertim in publico, ratione scandali, deferendum est; sicut lethalis etiam contrahatur noxa ab eo, qui contempserit, juxta S. Raymundum lib. 3. & alios passim; sed nihil distinguens illimitata Quesnelli assertio indubiè scandalosa est, neque congrua veritati.

Constat Articulum nonagesimum secundum uti & sequentem non tradi ut metaphysicum, sed hodierno usui maximè accommodatum, ac proinde manifestè annumerandum esse illis, qui ut Pontifex sub finem Constitutionis monet: *Sub imaginario quodam veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & perveracitiam nutriunt, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicant.*

Et quidem Articulus nonagesimus tertius supremos tuos Vicarios Romanos Pontifices odiosos Fidelibus, & Infidelibus reddit, quasi abutentes suâ potestate, infligendo vulnera à Te sananda, ut frustra Petro, & in eo singulis ejus successoribus dixisses: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis.* Si Quesnelli invaluerit sententia, excommunicati à Pontifice censuram facile contemnent, confisi fore ut restituas, quod ipse inconsiderato zelo resciderat. Exploratum est utrunque Articulum rebellionis tam scandalosæ, & pertinaciæ Jansenianæ tam diuturnæ, fuisse Portus-Regii Monialibus causam.

Articulus nonagesimus quartus primâ parte seditiosus est, & ad schisma excitans. Quid enim deteriore de Ecclesiâ, & supremis ejus Rectoribus opinionem ingerere potest, quàm præteritus *Dominatus in Fidem Fidelium?* Quasi norma credendi non sit veritas; sed voluntas hominum jubentium credere, seu verum, seu falsum, quidquid illis libuerit. Pars secunda fovet Jansenianam heresim, dum nec fidem, nec mores ledere dicitur, si in 5. famosis Propositionibus damnemus sensum non Jansenii, sed Calvini solummodò, quem Jansenistæ à Propositionibus alienum esse, easque non nisi *Malignè ad illum trahi posse*, coram Innocentio X. declararunt.

Articulus nonagesimus quintus non minùs contumeliosus adversùs Ecclesiam est, quæ juxta Apostolum est columna veritatis; juxta Articulum veritatem quodammodò ignorat: sive hæc in Ecclesia passim despicitur, ut *lingua peregrina*. Posterior Articuli pars objiciens Ecclesiæ senectutem, & iram DEI, indicat Ecclesiam deficere, exitio propinquam esse, nec amplius charissimam DEI Sponsam; sed vetulam, edentulam, à capite ad calcem usque rugis, & maculis plenam.

Nihil magis seditiosum, & schismaticum, quàm Articulus nonagesimus sextus. Quis enim eas sequi potestates velit, quæ omnes sint contrariæ Prædicatoribus veritatis? Reges enim omnes Catholici, cum Imperatore, quos constat esse fortissimos Fidei, & Ecclesiæ Defensores, omnes Episcopi, Cardinales, cum supremo Christi Vicario, juxta Articulum hostes veritatis sunt, & ejus prædicatoribus adversantur; quia Jansenismi præconibus sunt contrarii.

Membra illa, quæ in nonagesimo septimo Article *Magis sanctè, & magis strictè unita Ecclesiæ sunt*, & tamen respiciuntur, atque tractantur, tanquam indigna ut sint in Ecclesia, Constitutio theol. propugn. Tom. I.